Marcus Richardson

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MARCUS RICHARDSON,

Scotus,

CHIRURGUS,


SOCIET. REG. MED. ED. SOC. EXT.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXIMIO

JOANNI HENRICO WISHART, ARMIGERO,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIS

SOCIO

NUPERQUE PRÆSIDI,

NECNON

SOCIETATIS REGIÆ EDINENSIS

SOCIO, &c. &c.

AUCTOR.

TIBI, vir spectatissime, hasce studiorum primitias sacras esse volo, publice profitendi cupidus, quanta in me, medicus atque amicus, beneficia contuleris. Hisce equidem paginis tuum nomen decori fore existimo; haud secus atque AJAX arma, non arma AJACEM decorant,

"AJAX armis, non AJACE arma petuntur."

Serus in cælum redeas, diuque lætus tuis omnibus intersis, Deum optimum maximum oro.—VALE.

EDINBURGI,
Kalendis Augusti.

FRATRI CARISSIMO

JOANNI RICHARDSON, ARMIGERO,

HANC DISPUTATIONEM

ANIMO LUBENTISSIMO

SACRAT

MARCUS RICHARDSON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO.

Auctore MARCO RICHARDSON.

PRÆFANDA.

Ex omnibus valetudinis adversæ generibus, quibus homines patent, haud ullum acriter inquirere et cognoscere, pluris medicorum interest, quam *Rheumatismum*. Etiamsi enim quotidie hoc malo dolentissimo tortos videre medicis contingit; multa tamen ad idem pertinentia adhuc tenebris velantur: nec raro pertinax omnibus medicinæ auxiliis diu obstat. Haud sane actiones vitæ necessarias recta impedit, ipsam tamen miserrimam

reddit; et persæpe vires animi et corporis doloribus assiduis denuo conterit.

Haud sane in animo est latebras omnes hujus argumenti amplissimi explorare; quippe quod limites angusti opuscula hujusmodi continere soliti, capere nequeunt. De *Rheumatismo* Acuto potissimum scribere statui, paucis de eodem *chronico* adjectis.

Etiamsi, HIPPOCRATES, aliique ex antiquis, Græci atque Latini, nihil perspecti de hujus mali signis propriis literis mandarunt; haud ideo *Rheumatismum* morbum esse novum, veteribus ignotum, judicare licet. Neminem enim literarum et artis Apollinaris doctum latere potest, patrem medicinæ, ARETÆUM, CŒLIUM AURELIANUM, CELSUM ornatissimum, atque GALENUM hic illic, passim sane, et citra ordinem lucidum, notas morbi propositi, haud secus atque *arthritidis*, descripsisse. Medici jamdudum *Rheumatismum* duplicem esse proposuerunt; nimirum *acutum* atque *chronicum*: illum CULLENUS *Rheumatismum*, hunc *Arthrodyniam*, nominat. DUNCANUM nostrum secutus, hunc morbum quadruplicem esse malo; scilicet, acutum sive *Toni-*

cum, *Atonicum* (*Arthrodyniam*), *Irritabilem* et *Paralyticum*.

DE DEFINITIONE.

Cullenus, inter *Nosologos* facile princeps, *Rheumatismum*, id est, inflammationem fibrarum motricium acutam, ad classem, *Pyrexiæ*, atque ordinem, *Phlegmasiæ*, relatum, hisce verbis definivit: "Morbus ab externa, et plerumque evidente causa: pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus."

Siquidem morbus, quem prosequor, inflammatione fibrarum tendinum et musculorum contineri videtur, eundem argumento esse amplissimo lateque patenti, constat: vix ulli enim musculorum omnium ei sunt immunes. Quo fit ut alia atque alia acceperit nomina, prout huic illive sedi incumbat; qualia sunt, *Hemicrania*, *Pleurodyne*, *Lumbago*, &c. At vero de *Rheumatismo* artubus infesto potissimum disserere statui. Proxi-

mum est, ut, hæcce præfatus, notas hujus morbi literis mandem.

DE SIGNIS.

Rheumatismus acutus, haud secus atque aliæ inflammationes, e febris indiciis cœpisse solet. Summa cutis nimirum ubique inhorrescit: non multo postea, horrorem excipiunt ardor insignis, arteriæ concitatæ, sitis, lingua sorde candida aut fusca obducta, atque alia istiusmodi. Non raro, morbo jam ineunte, unus pluresve artuum dolent; deinde intumescere et aliquantum rubere incipiunt. Quod si multum tument, exinde dolor leniri consuevit; aliquando dolor, tumor et rubor non ante diem secundum vel tertium accedunt. Artus grandiores præ articulis manuum atque pedum laborare solent; humeri scilicet, cubiti, coxæ atque genua. Scire tamen licet, vix ullas fibrarum motricium immunes esse. Dolor sedis expers definitæ, hinc illorsum vagatur. Illud vero notatu dignissimum judico; dolorem fibras musculorum laborantium permeare, iisdemque molienti-

bus, exasperari : quo fit, ut hocce illove motu dolor intendatur, pro officio partis implicatæ proprio. Si cui nimirum, musculi *intercostales* hac inflammatione torquentur, dolor inter inspirandum intenditur ; si musculi, quorum est, maxillam inferiorem attollere ; inter manducandum ingravescit : si musculi lumborum proprii ; porrecto corporis trunco, cruciatus augetur. Vesperi febris et dolor exasperantur : Gregorium enim secuti, hunc unico calore admoto exacerbari negamus. Res est enim notissima signa omnia, ubi jam advesperascit, increscere, cubet homo, necne ; interdiu autem mitescere, etiamsi calor admoveatur. Judicare igitur licet, hunc morbum, haud secus atque aliquas febres, certæ legi obsecutum, accessiones vespertinas, atque decessiones matutinas sibi præferre. Sanguis vena secta detractus tunicam istam corio similem exhibet. Malis jam inëuntibus, summa cutis fere ubique exardet atque inarescit. Interdum profecto sudore diffluit, modo æqualiter, alias, hic illic, citra legem certam ; neque simul dolores fugantur, aut leniuntur. Scire quoque licet, membrum affectum, etsi cæteræ partes sudent, omni madore vacare solitum esse.

Alvus pigrior esse consuevit: neque vero hoc perpetuum est; aliquando enim fluit; alias naturæ convenienter se habet. Urina rufa est, ex qua multum furfuri subfusco simile subsidit.

Notatu dignum existimo, cerebrum et ventriculum parum *Rheumatismo* implicatis turbari; imo vero minus, quam alio quovis fere morbo acuto præsente. Perraro scilicet, cibi fastidiuntur, sumptive evomuntur; nec delirium vexat.

Jam memini, *Rheumatismum* non musculis artuum unicis insidere; verum etiam iis, qui citra mentis imperium officiis funguntur; quales sunt *diaphragma*, aliique spiritui trahendo et emittendo accommodati; cor, et fortasse intestinum crassius. Hæ vero notæ cor musculosve ei vicinos torqueri denuntiant: spirandi difficultas, palpitatio cordis, atque gravitatis sensus ad præcordia relatus; quæ omnia noctu potissimum cruciant, somnosque auferunt. Cor fere continenter motu isto abnormi exagitatur; vultusque summum animi angorem sibi induit. Arteriæ saliunt inæqualiter, plerumque exiliter, nonnunquam fortiter. Demum facies livet, sudoreque gelido humet: nec raro hoc malum cita morte finitur; aliquan-

do sane in inflammationem artuum *rheumaticam* recidivam abit. Nosse enim juvat, musculos qui sanguinis motui spirituique dicantur, atque articulos nunquam simul tentari; at vicissim male se habere; hos nimirum, illis plexis, liberari; illisque integris, implicari.

DE FINIBUS.

Rheumatismus acutus eventu multiplici finiri potest. Sæpe in resolutionem desinit. Alias febris sane indicia evanescunt; at dolor perstat, id est, *arthrodynia* accedit. Quoties corporibus imbecillis atque mollioribus contingit, in eam varietatem abit, quam Duncanus *Rheumatismum irritabilem* vocat; quinetiam, jam diuturnitate crebrisve accessionibus firmatus, demum fibrarum motricium vires conterit; eo ut *paralysis* certeve vitium *paralysi* simile gignatur: quod idem medicus *Rheumatismum paralyticum* nominat. Interdum motus artuum affectorum admodum impeditur, propter ligamenta ultra naturam durata, invicemve cohærentia; quod mali genus *anchylo-*

sis imperfecta nuncupatur: alias, eadem eo usque indurescunt, ut, binis ossibus natura pene ossea inter se nexis, motus omnino deleatur; id est, *anchylosis* fiat.

Res est cognitu dignissima, morbum, quem prosequor, non in suppurationem aut gangrænam abire: verisimile est, hoc ita se habere, eo quod, hæc inflammatio fibris tendinum et musculorum, non telæ reticulatæ incumbit. Scire autem licet, fabricam partis inflammatæ propriam notas atque eventus imperio perinsigni regere.

QUÆDAM DE CADAVERE SECANDO, CAUSAQUE CONTINENTE.

Rheumatismum fibris tendineis atque carnosis potissimum insidere, docent non solum ipsa signa, homine jam spirante, verum etiam, partes affectæ jam defunctis introspectæ. Aliquanto rarius equidem, hoc fieri licet; siquidem paucos hic morbus occidere solet.

Mortuorum artubus patefactis, tendines atque ligamenta præter modum rubere, indurari, et ali-

quando ultra naturam cohærere, conspiciuntur. Partes implicatæ haud raro *fibrina* secreta turgent. Quod ad cor hoc malo tortum, crassius, ob *fibrinam* secretam fibris interjectam, inveniri solet; capsula cordis interdum quoque æquo crassior atque opaca esse reperitur.

DE DIAGNOSI.

Podagra *Rheumatismum* haud parum simulat. Neque vero medicus, hisce perspectis, errare poterit. *Podagra* est inflammatio sui similis, ligamentis articulorum, atque integumentis infesta: *Rheumatismus* est inflammatio fibrarum tendinum et musculorum. Illa jure quasi hæreditario ab avis ad nepotes serissimos transfertur: hic omnes pariter, admota causa excitante, aggredi solet. Illa pollicem pedis, aliosque articulorum pedum et manuum; hic potius artus grandiores, infestat. Illa pars implicata rubore saturiori floret, fixoque dolore cruciatur: hoc urgente, dolor vagatur, fibrasque permeat motrices. Illa sæpius adultos vel ad senium inclinatos; hic potius juventa florentes

male habet. Illa affectis, cibi male concoquuntur, actioque ventriculi admodum turbatur; hoc contra laborantibus, vires cibi concoctrices integritate perfrui consuerunt. Hic interdum cor, aliosque musculorum interiorum, qui citra mentis imperium agunt, invadit; illa contra (id est inflammatio *arthritica*), non partes interiores afficere consuevit. Non raro accessione *podagræ* subito finita, viscera *spasmo* vel *atonia* torquentur: id quod de *Rheumatismo* prædicari non potest. Denique, inflammatio *arthritica* exitus habet morbi propositi propriis omnino alienos: quales sunt, *cuticula* in squamas abitura; partis affectæ tumor, rigor, pruritus, &c. interdum porro, calculi articulo infixi.

Id genus morbi, quem prosequor, cui nomen, "*Rheumatismus irritabilis*," acuto parum distat; siquidem videtur esse *Rheumatismus* acutus corpori mobili, languido et delicato infestus: quod efficit ut febris desit, aut vix percipiatur: acuti enim instar, dolor inde ortus vesperi increscit, atque calore illato intenditur. De hoc HAYGAR-

* Audi prælectiones clinicas DUNCANI primi.

THIUS, apud librum, cui titulus "Clinical Reports," scripsisse videtur. Interest inter *Rheumatismum* Acutum et *Chronicum*, quod huic febris nunquam adest, dolorque fixus unicæ sedi hærere consuevit. Ille juventa et viribus florentes, et sanguine plenos; hic quadragenarios, seniove contritos, affligere mavult. Ille brachia et humeros, hic coxas artusque inferiores, frequentius male habet. Illo vexatis dolor noctu, parteve calefacta fit sævior; hoc contra, levior. Præter hæc, partes illo tentatæ ultra modum calent, et persæpe rubent; hoc autem implicatæ nonnunquam præter naturam frigent.

Aliquando *Rheumatismus irritabilis* artuum dolores morbo veneris ortos simulat. Neque vero dijudicare artis medicæ perito difficile erit. Dolor *syphilide* ortus mediam præcipue artus partem male habet: non musculorum fibras sequitur: noctu potissimum urget: cognoscitur porro, *nodis*, id est, *periostitide*, sæpe cum eo sociatis, aliisque morbi veneris confirmati indiciis; denique ejus ineuntis notis prægressis.

DE CAUSIS ABDITIS.

Causæ morborum abditæ sunt, quæ homines iis subeundis, admota quavis causa excitante, aptant. Quod ad *Rheumatismum* attinet, quanto aliquis sit plenior, validior et speciosior, tanto facilius, illata noxa excitante, in hunc morbum incidere solet. Scire licet inflammationem, de qua agimus, non esse *specificam,* id est, non tabo pestilente sui simili nasci, neque propriam corporis indolem affectare. Quo fit ut, secus atque *arthritis,* non jure hæreditario a majoribus ad nepotes transferatur ; at pariter utrumque sexuum omnigenaque stirpe prognatos adoriatur. Multo sæpissime adultos, juventave florentes invadit ; aliquanto rarius tenellos aut senio confectos. Quibus in animo habitis, judicare oportet corpora vegeta, firma, et sanguine plena, *Rheumatismo* Acuto præ aliis patere.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Usus jamdudum edocuit, frigus corpori illatum omnium noxarum excitantium creberrimam esse. Eo magis autem frigus nocet, humore ei accedente. Ne multa, aër frigidus, humidus et varius potissimum hunc morbum ciet. Hinc intelligere licet, cur *Rheumatismus* Britannos præ incolis terræ Europæ septentrionalis continentis invadat. Illis enim contingit cœlum frigidum et humidum; his multo frigidius, at siccum. Res autem est notissima, aërem humore saturum cutis halitum quam maxime cohibere; caleat simul, an frigeat; eundem porro siccum cutem halitum evocare. Notatu dignum est, frigus eo potentius esse *Rheumatismi* movendi, si corpori jam calefacto, maximeque sudanti, adhibeatur. Quanto jam sæpius aliquis laboraverit, tanto facilius, tantoque levioribus causis admotis, relabi consuevit. Vere præ aliis anni tempestatibus hic morbus grassatur; cujus rei causam jam dicta satis patefaciunt.

DE PROGNOSI.

SIQUIDEM *Rheumatismus* perraro partes interiores, vitæ alendæ necessarias, aggreditur, constat eventum felicem persæpe præsagiri posse. Multo frequentius enim artuum musculis insidet. Si autem cor, fibræ septi transversi, aut pulmo laborat, nemo rei medicæ aliquanto peritior ignorat, metum omnia, spem fere nihil incutere; hominemque maxime periclitari. Nec ratio obscura: cor enim *Rheumatismo* tortum inæqualiter salit; spiritusque simul ægerrime trahitur et emittitur. Perpauci equidem hoc malo correpti revaluere. Haud raro *Rheumatismus*, etsi non vitam extinguit, eandem sævis assiduisque doloribus contristat, et inde serius ocius vires animi atque corporis conterit; vel denique in *arthrodyniam*, *paralysin*, aliave mala, nulli arti medicabilia, desinit.

Salutem redituram arguunt summa cutis sudore tepido madida, alvus paulo laxior, dolor et febris inclinata, aut sanguinis cursus.

DE SIGNORUM RATIONE.

CAUSA morbi propositi CONTINENS est inflammatio fibrarum tendinum et musculorum; unde signorum ratio facile patebit. Inflammatio est unica atque eadem actio vitiosa, cuicunque sedi hæreat; at notas varias pro partis affectæ sede exhibet. Telæ reticulatæ infesta, *phlegmone;* cuti veræ, *erythema*; fibris motricibus, *Rheumatismus,* nominatur. Non nisi præcipuis signorum insistere in animo est.

Dolor fibras motrices sequitur, eo quod hæ ipsæ inflammantur. Dolor actione musculorum laborantium intenditur; quia exinde fibræ, morbi sedes, perquam irritantur. Hoc igitur signum variat, pro musculi implicati actione. Hinc ratio patescit, cur *pleurodyne* torquente, dolor inter spiritum trahendum, ingravescat; curve, musculis abdominis tentatis, dolor homine spiritum emittente, vel prorsum inclinato, sævior fiat; curve, musculis lumborum correptis, dolor trunco porrecto exasperetur. Reliquarum notarum ratio satis ex jam memoratis in aprico est.

DE MEDENDI RATIONE.

Jam ineunte *Rheumatismo* Acuto, iis utendum remediis, quæ inflammationi sedandæ accommodantur. Præ omnibus oportebit sanguinem mittere, sudorem elicere, alvi dejectionem movere.

Quoties validi atque juvenes hoc morbo ægrotant, arteriis admodum concitatis, et dolore sævo torquente, sanguinem, vena brachii secta, detrahere juvabit. Illud unice cavendum, ne venis justo amplius vacuefactis, vires eo usque infirmentur, ut *Rheumatismus* Acutus in *Arthrodyniam* pertinacem, atque vix medicabilem, abeat. Quantum sanguinis et quoties, sit demendum, præcepta perpetua regere nequeunt : vix tamen errabit medicus, ex alterutra parte, si venas deplere non prius cessat, quam dolor mitescere, atque cor et arteriæ mollius, tardiusque salire, citra vires fractas, cæperint. Longe sæpius satis erit uncias x., xii., xv. semel bis ampliusve, mittere. Interdum sane venam non omnino secare opus est ; nec dubitari potest, venas intempestive aut plus æquo vacuefactas, nonnunquam graviter nocuisse.

Convenit inter omnes medicamenta, quæ sudori movendo accommodantur, optimo esse auxilio. Usitatiora sunt præparata ex *Antimonio*, vel radice *Callicoccæ Ipecacuanhæ opio* adjuncta: veluti *Pulvis Ipecacuanhæ compositus*; *Oxidum Antimonii cum Phosphate Calcis*, atque *Vinum Tartratis Antimonii*; quinetiam *Tinctura Resinæ Guaiaci officinalis*, et *Aqua Acetatis Ammoniæ*. Nonnulli fidem habent *Carbonati Ammoniæ Opio* adjecto; alii *Submuriati Hydrargyri* cum *opio*. Oportet ægrum simul multum potus diluti tepidique bibere, pannoque laneo vestiri; dein cubare stragulis multis obtectum. Si autem febris vehementer exardeat, atque cor et arteriæ valide concitantur, *Guaiacum officinale*, *Pulvis Ipecacuanhæ compositus*, aliaque, quæ præter modum calefaciunt, prætermitti debent; potiusque ministranda *Vinum Tartratis Antimonii* atque *Aqua Acetatis Ammoniæ*. Tepidarium interdum plurimum juvat; aliquando tamen dolores exasperat. Alvi purgatio, omnibus fere acutis morbis urgentibus, opitulatur; quippe quæ acria irritatura et febrem auctura excernit,

atque efficiendo ut arteriæ membranæ intimæ intestini crassioris inspersæ multum humoris excernant, molem sanguinis circumeuntis imminuit. Alvum ducere præstat, quam medicamentis voratis solicitare : sæpe enim dolor sævus ægrum moveri non sinit : porro metuendum ne frigus homini inter dejiciendum noceat. Quoties alvi dejectionem moliri opus est, optime conveniunt sales medii ; veluti *Phosphas Sodæ, Tartras Potassæ* et *Sodæ*, vel *Sulphas Magnesiæ.*

Accepimus *Digitalem purpuream* subinde profecisse, cordis et arteriarum motu sedando ; quam tamen parvi esse existimamus.

Quod ad remedia parti dolenti imponenda, modo *cataplasmata* emollientia opitulantur.

Morbo jam inveterascente, et inflammatione inclinata, sed dolore non quiescente ; etiamsi venam brachii ferire non liceat ; tamen cucurbitula cruenta vel hirudines summo fructu adhiberi solent, eoque magis, quo plus pars affecta intumescat et doleat potissimum vero, si unicum membrum laboret. Nunc quoque libera manu concedenda sunt ea, quæ sudorem movent.

Rheumatismo irritabili vexante, vel incitatione

et febre jam sedatis, *Cinchona officinalis* atque *Liquor Arsenitis Potassæ* HAYGARTHIO multum opitulari videntur. Quomodo valeant, facultate roborandi, an vi *specifica*, incertus hæreo.

Arthrodynia eadem sudoris moventia, quæ jam retuli, desiderat: quibus rite accedit *vinum Colchici*, et *Tinctura Guaiaci ammoniata*. Dolor porro *narcoticis* leniendus; qualia sunt, *Opium*, *Conium maculatum* et *Hyosciamus niger*. Folia *Rhododendri Chrysanthi* interdum opem tulerunt. Præter hæc, febre inclinata vel *Arthrodynia sæviente*, partes affectæ fricandæ sunt *Oleo camphorato*, *Oleo Terebinthinæ*, *Tinctura Meloës vesicatorii*, aut *linimento Saponis cum Opio*. Vis *electrica* aut *galvanica* admota, et frictio, sæpe multum auxilii tulerunt.

Rheumatismo omnigeno jam quiescente, ager cibo opimo, facili concoctu, alendus, e media materia; carnibus non denegatis.

Per totum hujus morbi cursum frigus evitari oportebit, præsertim cœlum humidum et frigidum; vestibus igitur laneis æger tegendus.

Haud ignoro hoc argumentum quam latissime patere, et multa hic prætermissa amplecti. Nec vero angusti limites, opuscula hujusmodi continere soliti, nec consilium initum, omnes ejus latebras me explorare postulant aut sinunt.

FINIS.